

benter adsunt orantibus, & intersunt meditantibus, ut habeant quod conditori suo pro nobis offerant. Hinc illud in Cantic. (a) *qua habitas in hortis, amici auscultant te, fac me audire vocem tuam.* Vox est caelestis sponsi ad amantissimam sponfam, in amoenissimis scripturarum hortis commorantem, seque ipsam divinorum mysteriorum contemplatione pascentem: quam angeli circumstant, ejus contubernio gaudentes, & devota orationis & laudum ejus cantica audire gestientes? Quid igitur? An non ipsi multo dulcius atque suavius canunt? Canunt plane: sed quemadmodum homines philomelæ, similibusque avium cantilantium, modulatione delectantur; quum tamen humanæ vocis organum longe sit gratius atque jucundius: ita beati illi spiritus divinis precibus & laudibus humana voce decantatis magno opere oblectantur, quamvis ipsi longe dulcius atque suavius canant.

His igitur modis, multisque aliis, quos recensere longum esset, beati illi spiritus sollicitam nostri curam gerunt. Ipsi namque, ut D. Augustinus ait, (b) „adjuvant laborantes,

„protegent quiescentes, hor-
„tantur pugnantes, coronant
„vincentes, congaudent gau-
„dentibus; de te, inquam,
„gaudentibus: compatiuntur
„patientibus; pro te, inquam,
„patientibus. „Grandis est
eis cura de nobis, magnus est
affectus dilectionis eorum er-
ga nos: & hoc totum propter
honorem tuæ inestimabilis car-
ritatis, qua dilexisti nos. Dil-
gunt enim, quos tu diligis;
custodiunt, quos tu custodis;
& deserunt, quos tu deseris.
Nec diligunt operantes iniqui-
tatem: quoniam & tu (c) odisti
omnes operantes iniquitatem.
Quoties bene agimus, gaudent
angeli, & tristantur demones:
quoties vero a bono deviamus,
diabolum lætificamus, & an-
gelos tuos suo gaudio defrau-
damus. Gaudium est enim eis
super uno peccatore pœnitentiam
agente, sed diabolo su-
per uno justo pœnitentiam de-
serente. Da igitur, da pater
eis semper gaudere de nobis,
ut & tu semper per eos lauderis
in nobis, & nos cum eis in
unum ovile tuum adducamur,
ut confiteamur simul nomini
sancto tuo creator hominum &
angelorum: qui cum unigeni-
to filio tuo vivis & regnas in
sæcula sæculorum. Amen.

IN

(a) Cant. 8. 13. (b) August. in Soliloq. (c) Psalm. 5. 7.



IN EODEM FESTO

S. MICHAELIS ARCHANGELI
CONCIO TERTIA,

IN QUAE, POST EVANGELICÆ LECTIONIS enarrationem, occasione superbiæ angelorum, quos e cælo S. Michael exturbavit, de peccato superbiæ agitur. De quo tria præcipue tractantur: primo, quibus modis homines in hoc peccatum incidant; deinde, quæ hominum genera huic præcipue morbo obnoxia sint; ac postremo varia hujus morbi remedia assignantur.

THE. Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum. Matth. XVIII. 3.

* S *
* *

Olent, qui de navigandi ratione scribunt, vadosa loca, & scopulos præcipue, qui sub unda latent, diligenter adnotare, & in charta describere, ut ab illis nauæ naves submoveant. Quum autem hæc ipsa vita, quam vivimus, navigatio quædam sit, qua ad optatum sempiternæ vitæ portum, ad quem conditi a Deo sumus, navigationis cursum dirigimus; necesse est, ut nos quoque vadosa loca, &

vitiorum scopulos, sub virtutis imagine latentes, sollicite describamus, ne ad eos innocentia navem illidamus, & justitiæ atque pietatis naufragium faciamus. Inter omnes autem hujusmodi scopulos nullus perniciosior, nullus occultior, quam superbia, est; quam & maximum & occultissimum omnium vitiorum in præcedenti concione esse diximus. Quod qui non credit, in summum illum angelum, quem S. Michael ex summa cæli arce in-
tar-

tartarum præcipitavit, oculos conjiciat; quem D. Dionysius unum quidem ex summis cæli principibus, D. autem Gregorius angelorum omnium principem esse ait, cui hoc peccatum, sola brevissima cogitationis mora commissum, æternæ damnationis causam attulit, & nobilissimam illam creaturam, creaturarum omnium pessimam & infelicissimam reddidit. Quin & illud ad hujus criminis detestationem vere dici potest, ipsum omnium ruinarum atque malorum causam & fontem esse. Verissime enim a Salomone dictum est: (a) *contritionem præcedit superbia: & ante ruinam exaltabitur spiritus.* Unde enim hæreses omnes, unde schismata, unde omnes etiam carnis lapsus, in quos, qui virtutem sectabantur, inciderunt, nisi ab hoc fonte manarunt? De hoc igitur maximo superbiæ periculo, quod in hujus vitæ pelago navigaturis imminet, in præsentī concione agere constitui. Ad quod & evangelica lectio, in qua Dominus occultam discipulorum superbiā curare voluit, & sancti Michaelis festum nos etiam adigit: cujus illud memorabile faci-

nus celebratur, quod superbiēntes adversus Deum angelos e cælestis regni sedibus præcipitaverit. Prius tamen evangelicam lectionem, quæ hujus doctrinæ fundamentum est, breviter explicabimus, ut diutius in hujus vitii penetralibus excutiendis immorari valeamus. Ait igitur S. evangelista:

*Accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: quis, putas, major est in regno cælorum? Hanc interrogationem ex occulta superbiæ radice ortum habuisse, aperte Lucas ostendit, dicens: (b) *intravit autem cogitatio in eos, quis eorum esset major.* Nec cogitatione solum, sed verbis etiam hoc inter se tractaverant. Unde Marcus narrat, discipulos primum quum venissent Capharnaüm, a Christo fuisse interrogatos: (c) *quid in via tractabatis?* siquidem in via inter se disputaverant, quis eorum esset major. Considerate, quæso, fratres, quam late virus superbiæ pateat, quod non solum opulentos & principes viros, qui aliquid habere videntur, unde gloriari possint, sed abjectos etiam pisces & inopes invadit. Licet enim illorum res angusta sit domi, & externo habitu sint ab-*

je-

(a) Prov. 16. 18. (b) Luc. 9. 46. (c) Marc. 9. 33.

jecti; tamen ex ingenii humani corruptione, quæ ex Adam cunctis inest mortalibus, sæpe factum intus alunt, quem per affectum cordis humiliati tollere oportet.

Scrutator ergo cordium Dominus, hujus interrogationis causam intelligens, respondit: *amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, &c.* Non parum ponderis habet, quod cælestis magister admonitioni huic gravissimam præmisit asseverationem, ut de ejus veritate dubitare nemini liceret. Itaque perinde est, ac si dicat: vos contenditis de primatu regni cælorum: at ego asseveranter vobis affirmo, quod nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, adeo non efficiemini in regno meo magni & illustres, ut ne pro discipulis quidem meis vos sim habiturus. Quomodo autem parvuli effici debeamus, Petrus apostolus in epistola sua docet his verbis: (a) „deponentes omnem „malitiam, & omnem dolum, „& simulationes, & invidias, „& omnes detractiones, sicut „modo geniti infantes rationabile & sine dolo lac comiscupiscite. „ *Quicumque ergo*

se hoc modo parvulum fecerit, hic major est in regno cælorum: & qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit. Quo in loco, suscipiendi verbum non tantum sonat hospitio excipere, sed quodvis etiam benignitatis obsequium exhibere. Hoc enim sensu Apostolus dixit: (b) *suscipite invicem, sicut & Christus suscepit vos:* hoc est, adjuvate vos invicem, mutuisque officiis fovete. Cui officio magnam sane proponit mercedem, quum dicit, se ipsum, hoc est, unigenitum æterni patris filium, in his parvulis excipi atque foveri. Qualis ergo merces ex tali benignitatis officio, quod in ipsum Dei filium confertur, speranda est?

Ut autem officiosis in hos parvulos inæstimabile proponitur præmium, ita scandalum inferentibus maximum Dominus minatur supplicium. Subdit enim: *qui autem scandalizaverit unum ex his pusillis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* His verbis, ut Hieronymus ait, supplicii genus peculiare Palæsthis designavit, quod ob enormia crimi-

(a) 1. Petr. 2. 1. 2. (b) Rom. 15. 7.

mina solebat exigi. Suspendebatur enim collo noxii saxum molare, & demergebatur in profundum. Satis erat hæc tanta supplicii acerbitas ad criminis hujus gravitatem exaggerandam. Verum addit supplicio Dominus exclamationem interni doloris indicem, quum subdit: *væ mundo a scandalis.* Væ, maledictionem & damnationem significat. Est ergo sensus: *væ*, id est, maledictio ipsi mundo propter scandala, quibus est plenus, quum totus sit in maligno positus. Quum autem stultorum numerus sit infinitus, tot erunt etiam scandala & offendicula, quæ simpliciter in via gradientibus objicientur. Ideoque subdit, necesse esse, ut veniant scandala: quia quum tot in mundo prava opera & exempla, & prava item perditorum hominum dogmata & consilia sint, quum tot etiam modis homines hominibus partim contumeliis, partim injuriis, partim detractionibus & iniquis litibus noceant: consequens est, ut multis modis infirmi homines scandalum patiantur. Hæc autem a Theologis necessitas consequentiæ, non consequentis, esse dicitur. Nec enim absolute necesse est, ut scandala

veniant: sed quum tot in mundo sint causæ malorum, consequens est, ut ex his mala & scandala oriantur. Nec tamen malis impune erit, quod necesse sit venire scandala, quum ii instrumenta sint satanæ, qui egregiam illi operam navant, ejusque negotium & officium gerunt. Cujus autem gravitatis hoc peccatum sit, ex animarum pretio, quod Christi sanguis est, æstimari poterit. Si enim aurum est, quod auro emitur; sanguis utique Christi erit, quod ejus sanguine redemptum est. Hunc autem effundunt atque conculcant, qui pravis monitis & exemplis fidelium animas corrumpunt.

Quo quidem peccati genere multo gravius delinquant principes sive in ecclesia, sive in repub. viri: tum, quia eorum prava opera magis conspicua sunt; tum, quia honorem & dignitatem vitiis, dignitatis suæ auctoritate præbent. Nemo enim inglorium sibi esse putat id facere, quod sublimes in repub. viros facere constat: ita fit, ut ii plus exemplo, quam peccato, noceant. Quod sane obscuris hominibus, & intra privatos parietes degentibus, non perinde contingit. Isti enim quum peccant,

tant, sibi solis præcipue nocent. Itaque ut humata cadavera nemini nocent, inhumata vero putredine sua ærem inficiunt, & pestem hominibus afferunt: ita quum privatus homo intra domesticos parietes latens peccat, se unum tantum damnat; publici autem homines, quales episcopi, magistratus, & patresfamilias sunt, quum in officio delinquant, velut inhumata cadavera, multorum malorum causa existunt. Quum Moyses cinerem in altum effudit, (a) veficæ turgentes, & morbi Ægyptios graviter infestarunt: ad hunc ergo modum quum leves homines excelsum in repub. vel in ecclesia locum occupant, necesse est, ut varia malorum genera in ea consequantur. Unde pro eo quod nos legimus: (b) *in circuitu impii ambulat, secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum*; D. Hieronymus ex Hebræo vertit: *in circuitu impii ambulat, quum exaltati fuerint vilissimi filiorum hominum.*

Adauctet autem Dominus criminis hujus gravitatem, quum subdit: *si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, absconde eum, & projice abs te.*

Animadvertite, quæso, qua cura nos Dominus adhortetur, ut omnes scandali occasiones undecumque irruentes amputemus. Levius fuisset dixisse, *cave, observa, cobide*: at quanto majus quod præcipit, ut abscindamus omnem offendiculi materiam; quo demonstret, quanta sit magnitudo periculi, quando, nisi id fiat, prorsus sit pereundum: non minus atque si quis viperam e manu pendentem non concitus excuteret. Est autem hæc adhortatio ab utili & commodo conservandi universi. Ubi enim totus homo periclitatur, præstabilius est, unius membri jactura totius reliqui corporis salutem redimere, quam, servato membro luxato & putrescente, totius corporis salutem in discrimen conjicere. Hæc ratio habet simile, sumptum ab illis, quibus morbida membra per chirurgos amputantur, ut servetur quod reliquum est corporis sanum. Certe hunc animum nobis a natura insitum habere debemus, ut alicujus membri dispendio, si aliter fieri non potest, vitam servemus. Si enim tanto studio corporis vita retinetur, quanto majore animæ salus ac vita con-

(a) Exod. 9. 8. 9. (b) Psalm. 11. 9.

conservanda est? Quid enim habet eximii momenti, si corpus abscissa dextera servetur brevi postea moriturum: animæ vero longe alia est ratio: id quod & poeta gentilis agnovit, quum ait:

*Ut corpus redimas, ferrum
patieris & ignes,
Arida nec sitiens ora lavabis
aqua.*

*Ut valeas animo, quidquam
tolerare negabis?*

*At pretium pars hæc corpore
majus habet.*

Denique non contentus Dominus tot modis nos a scandali peccato deterruisse, addit etiam extremam, eandemque brevissimam, admonitionem, dicens: *videte, ne contemnatis unum ex his pusillis, &c.* quod perinde est, ac si diceret: etiam atque etiam curate, & solliciti ac diligentes estote, ne pios atque humiles contemnatis. Non enim ait: ne lædatis aut perdatis unum ex his, &c. sed ne contemnatis: quo verbo omnem offensionis ac læsionis fontem, quo pusilli lædi possunt, obrurat. *Dico enim vobis, quia angeli eorum in calis semper vident faciem Patris mei, qui in calis est.* A dignitate ergo angelorum, quibus parvulorum tutela commissa est, eo-

rumdem amplificat dignitatem. Sunt enim angeli immortales, invisibiles, indissolubiles, incommutabiles, simplices, hoc est, ab omni corporea mole secreti, in genere suo perfecti, mente puri, affectu benigni, religione pii, unanimitate indivisi, pace securi, divinisque laudibus & obsequiis semper intenti. Inter quos majores sine elatione præsumunt, & minores sine murmure subsunt: qui quum ad exteriora exeunt, ab interiori divinitatis contemplatione non recedunt. Quanta ergo reverentia iis hominibus exhibenda, qui tales a Deo pedagogos, custodes atque salutis suæ ministros nacti sunt? Hastenus de evangelica lectione: nunc præcipuam ejus sententiam, qua superbiæ peccatum a Domino accusatur, in reliqua concionis parte persequamur.

§. I.

De hoc igitur occultissimo atque maximo superbiæ crimine dicturi, primum, quibus modis homines in hoc vitium incidant, explicabo: deinde, quæ hominum genera huic morbo præcipue obnoxia sint: ac postremo, quibus adversus pestilentissimum hunc animo-

rum

rum morbum remediis uti debeamus, expediam.

Multis modis homines in hoc superbiæ præcipitium vel non sentientes cadunt. Quidam enim adeo stupidi, adeoque sui ac rerum divinarum ignari sunt, ut quidquid præclarum, sive in bonis naturæ, sive industriæ, sive fortunæ habeant, vel sibi ipsis, non bonorum omnium auctori Deo, tribuant; vel sic se in animo & vita gerant, quasi a se ipsis, non ab ipso, percepissent. Quorum mentem & cæcitatem superbus ille Pharaon repræsentat, cui per Ezechielem Dominus dixit: (a) *ecce ego ad te, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicit: meus est fluvius, & ego feci me metipsum.* Simili modo Assyriorum rex deliquit, cui Dominus exitum prophetica voce minatur his verbis: (b) *„vitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, & „super gloriam altitudinis oculorum ejus. Dixit enim: „in fortitudine manus meæ „feci, & in sapientia mea in- „tellexi, & abstuli terminos „populorum, & detraxi quasi „potens in sublimi residen- „tes. „ Hoc eodem genere*

peccati deliquit ejusdem Babylonæ rex Nabuchodonosor, qui se sua virtute, nulla Dei habita ratione, amplissimam illam civitatem extruxisse, & latissimum imperium propagasse arbitrabatur; adversus quem sanctus ille vigilans de cælo descendens, gravissimam illam & inauditam sententiam fulminavit: (c) *„tibi dicitur, „Nabuchodonosor, regnum „tuum transibit a te, & ab „hominibus ejicient te, & „cum bestiis & feris erit habitatio tua: fœnum quasi „bos comedes, & septem tem- „pora mutabuntur super te, „donec scias, quod dominetur „excelsus in regno hominum, „& cuicumque voluerit, det „illud. Eadem hora sermo „completus est super Nabuchodonosor. „ &c.*

Hoc igitur tam novo & inaudito supplicio, quod divina censura excogitavit, satis declaravit, quam sit hoc peccatum divinæ majestati invisum; quo vilis homuncio, ex limo terræ conditus, & in eam reversurus, gloriam uni Deo debitam sibi arrogare præsumit. A quo crimine sanctus Job se alienissimum esse confitetur, quum ait: (d) *si videt*

So-

(a) *Ezech. 29. 3.* (b) *Isai. 10. 12. 13.* (c) *Daniel. 4. 28. 30.* (d) *Job 31. 26. 28.*

Solem quum fulgeret, & Lunam incedentem clare, ... & osculatus sum manum meam: ... quod est peccatum grande, & negatio contra Deum altissimum. Hoc ad verbum contra eos dicitur, qui Soli & Lunæ divinitatis gloriam, uni conditori debitam, tribuebant: sed nihilominus tamen spiritualiter in eos etiam quadrat, qui rerum suarum splendorem, & cetera sive naturæ, sive fortunæ, sive industriæ bona, non Deo, sed sibi ipsis & manibus suis accepta referunt. Hi enim & manus suas osculantur, dum illis tribuunt, quod divino munere & beneficio perceperunt; & Deum negant, quando, quod sibi sumunt, Deo adimunt.

Sunt & alii, qui naturæ beneficia, qualia sunt corporis robur, formæ decor & pulchritudo, canoræ vocis suavitas, ingenii acumen, & naturalis quædam sollertia, ceteraque his similia, quæ nobiscum nata sunt, a summo illo naturæ opifice & conditore proficisci intelligunt; nec ideo tamen humiles sunt, quoniam de his frequenter gloriantur, & ob ea laudem ab hominibus & gloriam expetunt: quos D.

Augustinus divinæ gloriæ fures appellat, utpote qui gloriam, horum bonorum largitori debitam, sibi ipsis impie & ingrante arrogant. Sunt rursus alii, qui spiritualia dona & beneficia a Deo se consequutos esse profitentur, sed ea tamen propriis meritis & virtutibus suis assignant. Hi autem partim Deo gloriam tribuunt, partim adimunt: quando ea esse Dei beneficia confitentur, meriti autem valorem atque rationem sibi sumunt: quum tamen certum sit, omne meritum nostrum non minus gratuitum Dei munus esse, quam quod propter ipsa nobis merita conceditur. Hinc D. Augustinus, locum illum enarrans, (a) *qui coronat te in misericordia*, &c. sic ait: „debetur corrona bonis operibus, si fiant; sed gratia præcedit, ut fiant. Itaque utrumque divinæ gratiæ beneficium est, & boni operis præmium, & ejusdem operis meritum. „

Ut autem, quantum periculi in hoc superbiæ genere sit, intelligatis, memorabile exemplum, quod S. Joannes Ægyptius, inter veteres illos anachoretas celeberrimus, retulit, hoc in loco attexere volui.

Ait

(a) *Psalms. 102. 4.*

Ait igitur: „erat quidam apud nos monachus in hac vicina eremo commanens, cui habitaculum spelunca erat: vir summæ abstinentiæ, quotidianum victum labore manuum quærens: in orationibus diu noctuque persistens, cunctisque animi virtutibus florens. Sed hic lætis successibus elatus, confidere quasi in profectibus suis cœpit, & non Deo totum, sed sibi metipso, quod fecerat, deputare. Hanc autem ejus intuens animi præsumptionem tentator, continuo accedit, & laqueos parat. Quadam namque die ad vesperam fingit speciem decoræ mulieris oberrantis per eremum, quæ velut fessa post nimium laborem, accedens ad ostium speluncæ monachi, se lassabundam simulans ac fatigatam, intrinsecus semetipsam projecit: atque advoluta genibus viri, ut misereatur, exorat. Nox enim me infelicem, inquit, in eremo latitantem comprehendit: jube me requiescere in angulo cellulæ tuæ, ne forte efficiar nocturnis bestiis præda. At ille primo miserationis obtentu recepit eam in speluncam, requirens, quæ ei causa errandi per eremum fuerit. Illa causam fingit satis accurate, & inte-

Tom. III.

rim venena blandimentorum, atque illecebræ virus per omnem textum narrationis interferit: nunc se miserandam, nunc etiam defensione dignam ostendens, elegantia & suavitate sermonis inclinatur animum hominis, & in affectum sui illecebrosi amore deflectit. Hinc jam inter blandiora colloquia jocus risusque miscetur: manus etiam procax ad mentum barbamque quasi venerandæ specie protendit: tum vero palpare cervicem mollius, collumque levigare. Quid multa? Ad ultimum, captivum ducit militem Christi. Continuo enim perturbari intra semetipsum, & libidinis fluctibus æstuarum cœpit; nequaquam laborum præteritorum, nequaquam professionis ac propositi sui memor. Paciscitur cum cordis sui concupiscentia, & intra arcana cogitationum suarum foedus cum falsa cupiditate componit. Inclinat stultus latera sua, & efficitur sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Atque ubi obscenos jam conabatur inire complexus, illa, ululatum teterrimum diræ vocis emittens, umbra ut erat tenuis, per manus amplectentis elabatur; ipsumque dedecorosis motibus inanes auras sectantem

F

foe.